



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

7. Qualiter præfati Serui Dei apud Danos quoslibet ad viam veritatis monerent, & quod Scholas ibi statuerint, ac peracto biennio Audbertus ad nouam Corbeiam deductus & defunctus sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43650

& apud eum tunc familiaris, ac post ipsam domus eius procurator habebatur, talia velle. Aduocatum tamen eum super hoc interrogauit. Qui respondit, nequaquam posse pati, vt ille solus iret; sed pro Christi nomine se velle ei solatio & adiutorio fieri, si suam & fratrum haberet licentiam. Cui Dominus Abbas, se daturum licentiam, si ille spontaneè hanc profectioem eligeret, respondit: nullum tamen eis ex familia comitem ad obsequium seruitij depuraturum, nisi fortè ipsi aliquem ad hoc prouocare possent, vt suã sponte cum eis ire vellet. Hoc autem venerabilis Abbas non de inaffectione faciebat, sed quia abominabile eo tempore & iniustum videbatur, vt quis multus inter paganos conuersari cogeretur.

CAPVT VII.

Qualiter prefati Serui Dei apud Danos quoslibet ad viam veritatis monerent, & quod Scholas ibi stauerint, ac paracto biennio Audbertus ad nouam Corbeiam deductus & defunctus sit.

Posthæc itaque ambo deducuntur ad Regem, quorum voluntati & desiderio ipse condelectatus, dedit eis ministeria Ecclesiastica, scrinia, atque tentoria, cæteraque subsidia, quæ tanto itinere videbantur necessaria, & cum prefato Herioldo ire præcepit: denunciatis vt eius fidei maximam impenderent

derent sollicitudinem, eumque & suos, qui simul baptizati fuerant. pia exhortatione, ne ad pristinos reducerentur diabolo instigante errores, continuè roborarent; simulque etiam alios ad suscipiendam Christianam religionem, verbo prædicationis strenuè commoverent. Dimissi itaque ab Imperatore, nullum habuerunt socium, qui eis aliquid seruitij impenderet, quoniam nemo ex familia Abbatis cum eis sua sponte ire, nec ille quemquam adhuc inuitum volebat cogere. Herioldus quoque cui commissi fuerant adhuc rudis & neophytus, ignorabat qualiter Serui Dei tractari debuissent: Sui quoque tunc nuper conuersi, & longè aliter educati, non multà super eos curà intendebant. Cum graui itaque difficultate hanc suscipientes peregrinationem peruenerunt Coloniam. Ibi tunc temporis Venerandus Antistes Hadeboldus compatiens eorum necessitati, dedit eis nauem optimam, vbi sua reponerent, in qua erant duæ mansiunculæ, satis opportuna, præparata. Hanc itaque prædictus Herioldus conspiciens elegit ipse in eadem naui cum illis manere, vè ipse vnâ, & illi alterâ potirentur mansiunculâ: sicque inter eos familiaritas cœpit & beniuolentia crescere: Sui quoque exhinc seruitium eis diligentius impendebant. Inde egressi per Dorstratum, & vicinia Fresonum transeuntes, ad confinia peruenerunt Danorum. Et quia interdum pacificè in Regno suo Herioldus

*Hadeboldus
Antistes Colo-
niæ.*

dus Rex consistere non poterat, dedit ei me-
 moratus Augustus ultra Albiam beneficium;
 ut si quando ei necessarium esset, ibi subsistere
 posset. Præfati itaque Serui Dei cum eo po-
 siti, & aliquando inter paganos constituti,
 cœperunt Verbo Dei insistere & quoscunque
 poterant ad viam veritatis monere. Multi
 autem exemplo & doctrinâ eorum ad fidem
 conuertebantur, & crescebant cotidie qui
 salui fierent in Domino. Ipsi quoque diuino
 inspirati amore ad promulgandâ deuotionis
 suæ religionem, cœperunt pueros quærere,
 quos emerent, & ad Dei seruitium educarent.
 Præfatus itaque Herioldus ex suis aliquos
 sub eorum cura erudiendos posuit; sicque
 factum est, ut scholam ibi puerorum paruo
 tempore statuerent, 12. aut eo ampliùs puero-
 rum. Alios quoque hinc inde sibi ascuerunt
 seruitores & adiutores; cœpitque eorum fa-
 ma & religio in Dei nomine fructuosius cre-
 scere. Cùm itaque in hoc sancto proposito,
 biennio aut eo ampliùs morarentur, contigit
 iam dictum Fratrem Audbertum infirmitatis
 grauari molestiâ. Qua de causa inde ad no-
 uam Corbeiam deductus, languore diutino
 ingrauescente, felici ut credimus transitu,
 in tempore Paschæ, sicut & ipsi antea à
 Domino reuelatum fuerat, di-
 em inibi clausit extre-
 mum.

*Emuntur
 pueri edu-
 candi.*

Schola.

CAP.